



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

III. Pro furibus & latronibus iniuriando occisis, non est orandum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

## CAP. II.

*Alexander III. Claromontano episcopo.*

Literis tuis quas I. lator presentium exhibuerat, continebatur, quod cum pater eius multis fuisset criminibus irretitus, qui per appositionem ignis, ecclesiarum incendium diabolo suggerente commiserat: tandem in vltima ægritudine constitutus, se confessus est peccatorem, & accepta pœnitentia de commissis, per manum capellani sui fuit a sententia anathematis absolutus: sed moriens, ecclesiasticam sepulturam nequiuit habere. Quapropter si ita res se habet, fraternitati tuæ, &c. quatenus corpus eiusdem patris I. supradicti, appellatione cessante, facias in cœmeterio sepeliri, & heredes eius moneas & compellas, vt his quibus ille per incendium vel alio modo damna contra iustitiam irrogauit, iuxta suas facultates condigne satisficiant, vt sic a peccato valeat liberari.

*Idem ex Concilio Turonensi.*

Fures & latrones si in furando vel in prædando occiduntur, visum est pro eis non orandum: & si comprehensi & vulnerati fuerint, & presbytero vel diacono confessi fuerint, communionem eis non denegamus.

## CAP. III.

*Item Alexander tertius Lucensi episcopo.*

De secunda vero quæstione, hoc tuam discretionem tenere volumus, quod propinqui eius, quem pro manifestis excessibus, videlicet homicidio, incendio, violenta manuum iniectio in clericos, in violatione multarum ecclesiarum & incestu, vinculo excommunicationis adstringis, monendi sunt vt pro eis satisfactionem exhibeant: quod si fecerint, quia laborans in extremis, præstito iuramento, per presbyterum \* tenuerit ab excommunicationis sententia relaxari, in cœmeterio poterit sepeliri. Si autem propinqui sui tuis acquiescere monitis contradixerint, quia iam non est purgatum peccatum, defuncto neganda est ecclesiastica sepultura.

DE